NOn dubito, qvin Tibi, HEROI qvippe in Antiqvitatum doctrina mirificè exercitato, optimè ſit cognitum, qvòd JOACHIMUS SCHLEGELIUS, *Saganenſis Sileſius*, Vir, præter Juris Scientiam artis Poëticæ inprimis peritiſſimus, & propterea nobiliſſimæ Poëtriæ, ELISABETHÆ JOANNÆ WESTONIÆ, ANGLÆ, olim apprimè gratus atqve acceptus, *Invictiſſimo Imperatori atqve Monarchæ*, MATTHIÆ II, Pincipi pio ac prudenti,

de *Nummo illo aureo*, qvem CONSTANTINUS MAGNUS, *Chriſtianorum* Imperatorum primus, acceptô ſacro-ſanctô Baptiſmate, hôc modô






ſignari juſſerit, chartam qvandam *Claudianam*, eamq; *Seſſianis* litteris nitidè impreſſam, devotiſſimè atqve ſubmiſſiſſimè obtulerit atqve conſecraverit; cùm videlicet *Sereniſſima* EJUSDEM *Majeſtas*, Nunciis *Apoſtolicô*, *Hiſpanô* ac qvôdam è magno veſtro Ducatu ſplendidè præſentibus, *Pragæ* Aô. huj. Sec. XI. d. XXII. Maj. Styl. Nov. à Dn. FRANCISCO, *Cardinali* à *Dietrichſtein* & *Epiſcopô Olomutienſi* eminentiſſimô, BOHEMIÆ REX coronetur ſolenniter. *An* autem omnia, qvæ de NUMMO illo in jam dicta charta continentur, veritati conſentanea ſint, pro Judicii modulô breviter ediſſeram. *Primò* enim dicit Vir doctus ille *Schlegelius*, INSCRIPTIONEM NUMISMATIS, qvæ in altera ejus facie hunc in modum:



eſt conſpicienda, *Vaſtualdi* Characteribus, qveîs, *Hunibaldô* autore, Acta Regum, Ducum, Principumqve per annos ſeptingentos & qvinqvaginta octo primô ſermone ſunt conſcripta, *Metatheticè* eſſe conſignatam, & idem

va-

valere, ac: MESSIAS MORTEM ET VITIA (pro PECCATIS hôc locô fortè poſita) VICIT. Deindè aſſerit, hunc NUMMUM verè in *Oriente* cuſum eſſe, ſeqve accepiſſe *Ectypum* qvoddam argenteum à *Procopio Lupacio*, Bohemô, qvi *Jacobi Monavii* curâ ex *Oriente* illud qvàm feliciſſimè ſe nactum eſſe eſt profeſſus. Et ut aſſertionem ſuam *Schlegelius* fundamentis ſtabilire videatur firmioribus, prolixè addit, eundem NUMMUM à *Jo. Antonio Bayfio, Chriſtophoro Pannonio* & *Friderico Sylburgio*, Viris in eminentioribus litteris egregiè tunc verſatis, pro verô ac genuinô ſemper eſſe habitum. Primum qvod concernit, qvivis eorum, qvi in eruendis *diverſarum Gentium, Perſonarumqve Litteris, Characteribus* atqve *Signaturis* qvotidiè eſt diligens, facillimè videbit, INSCRIPTIONEM iſtam ex *Characteribus Vaſtualdinis* hâc de causâ minimè eſſe compoſitam, qvòd ne ductus qvidem in *Vaſtualdi Alphabeto* eſt reperire, qvi litteris iſtis, ex qvibus conſtat INSCRIPTIO, propriè ſit conformis. Nã ſi *Vaſtualdi* Notis eſſet adornata: neceſſum fuiſſet, ut, meô qvidem judiciô, hunc in modum:



iſta ſeſe exhibuiſſet; inprimis ſi hanc *Notam*  pro C, & *Characterem*  PH. aliàs denotantem, pro V, qvod æqvè, ac U ſimplex, in jam denominato *Alphabeto* adhuc deſideratur, agnoſcere velimus. Re ita comparatâ, potiùs ſtatuendum atqve affirmandum eſt, NUMMI noſtri INSCRIPTIONEM ejusmodi *Hetruſcorum* litteris, qvaleîs *Jo. Theod.* & *Jo. Iſraël* de *Bry*, fratres Germani, in ita inſcri-

 ptis

ptis Alphabetis atqve Characteribus jam indè à creato Mundo ad noſtra usqve Tempora apud omneîs omninò Nationes uſurpatis, iisdemq; ex variis Autoribus accuratè depromptis & *Mœno-Francofurti* Aô. CHR. M.D.XCVI. artificioſè eleganterqve in ære effictis, Litt. E. 4. fac. a. exceptâ *Litterâ* T, qvæ in *Alphabetô Hetruſcorum majori*, cujus autor *Demarathus Corinthius*, locô U eſt reperienda, & in *Alphabeto Utopienſi*, à *Thomâ Morô invento*, Q. deſignare dicitur, nobis ante oculos ponunt, appoſitè eſſe cælatam, & idem notare, ac *SALVATORI. MUNDI. SACRUM.* CHRISTUS enim ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΣ non ſolùm totam molem peccati, qvòd ſine peccato & per conſeqvens ἀσπόρως erat conceptus, in ſe recepit, Legis maledictionem pertulit, & immenſam DEI iram, totius mundi peccatis accenſam, ſuſtinuit & placavit, ſed & Regnum Diaboli potenter deſtruxit, &, abolitâ Morte, Vitam æternam ex gratiâ nobis reſtituit. Inde fortean eſt, ut in primâ NUMMI facie CHRISTUS Pomum, ſeu Orbiculum Imperialem, dextrâ tenens, in alterâ verò, ſuperimpoſitô vexillô qvôdam, Victoriæ qvippe atqve Triumfi ſignô, Diabolus cum Morte ac Infernô victus atqve debellatus nobis ſeſe offerant. Cauſam autem Inventionis NUMMI iſtius IMPERATORII *Numiſma* illud *Græcorum*, qvod HERCULI, *Amphitruonis* & *Alcmenæ* Filio, hâc formâ



erat cuſum, ſine omni dubio fuiſſe, ductu Inſcriptionis,

qvæ

qvæ HERCULEM SALVATOREM qvondam dictum fuiſſe deſignat, opinor. Nam HERCULES à JUNONE miſſus ad exitium Leonis Nemeæi, ſeu Nemæi, eum juſſu EURYSTHEI clavâ interemit; qvamvis inermis illum aliàs interfeciſſe dicatur. Qvapropter Antiqvitas pingens, aut fingens HERCULEM, ſemper eum fecit inſignem Clavâ, qvâ pro *Gladio*, & Pelle, ſ. Spoliô Leonis, qvô *Scuti* locô in pugnâ, aut cùm effigiatur ad pugnam ſe accingens, eſt uſus. Deinde factum eſt, ut *geſtare ſpolium Leonis* nihil aliud ſit, qvàm *promere vim Virtutis, veramqve animi Fortitudinem*, cui omne robur corporis ſit impar. Et verò qvoties *Græci* qvempiam multâ alacritate dicunt qvid ſuſcipere, utuntur hâc loqvendi formulâ: ΜΟΝΟΝ. ΟΥΧΙ. ΤΗΝ. ΛΕΟΝΤΗΝ. ΕΠΕΝΔΥΣΑΜΕΝΟΣ. h. e. TANTUM. NON. SPOLIO. LEONIS. INCINCTUS. Poſteà credi cœptum, tales talium Spoliorum geſtores Diis eſſe genitos, ac proinde invulnerabileîs. Nam hôc ipsô, qvòd tàm horribili indutu inſigneîs inferebant ſeſe, nullis ictibus confici poſſe credebantur. Sed cur CONSTANTINUS, anteqvam CHRISTIANUS *factus*, HERCULEM ſui CONSERVATOREM *primo Nummo* etiam agnoverit, ex *Praxagora Triſtanus* hanc ob cauſam factum eſſe memorat, qvòd cùm MAXIMIANUS, inferioris ASIÆ Dominus, Juveni *CONSTANTINO* ob invidiam inſidias ſtruxiſſet, illumqve ad debellandum Leonem impuliſſet, ille Belluam, ut olim HERCULES, maſculè ac imperterritè occidit, &, cognitâ invidiâ, ad Patrem *CONSTANTIUM* fugiens paterni Regni ex animi ſententia particeps eſt factus. Qvô factô, populus hoc Fortitudinis & Generoſitatis facinus Monetæ ſuæ, qvam *Carolus Patinus*, Vir amœniorum Antiqvitatum laudabiliter ſtudioſus, in Numiſmatibus ſuis, iisq; ex ære mediæ & minimæ formæ deſcriptis atqve enarratis, p. 464. ex auro qvoqve *Treviris* in hunc (&



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11948-p0017-2

qvidem ſubtiliorem) modum




ſignatam eſſe ſcribit, diligenter conſignari juſſit. Hæc de primô. Alterum qvod attinet, nonnulli Antiqvarii vehementer dubitant, qvòd NUMMUS noſter in Oriente verè ſit percuſſus, & qvidem ob duas potiſſimùm rationes, qvarum prior illorum eſt, qvi ſtatuunt, CHRISTUM tunc temporis neqvaqvam ita pictum eſſe, uti in primo MONETÆ noſtræ latere nobis exhibetur. Poſterior verò iis attribuitur, qvi NUMMUM hunc fictitium ideò eſſe exiſtimant, qvoniam ejus Inſcriptio neqve *Græcis*, neqve *Latinis* Litteris, ut cætera *CONSTANTINI*, aliorumq; IMPERATORUM *Numismata*, conſtet. Utramqve ſententiam qvàm lubentiſſimè venerarer, nî eſſem factus certior, qvòd paſſim reperiantur multæ *Monetæ* veteres, eæq; ex ipsâ *Græciâ*, aliisqve *Orientalium* oris ad nos perlatæ, qvæ nec *prius*, nec *poſterius* prorſùs improbandum eſſe, perſpicuè nos docent. Sic NUMMUS *Græcanicus* AUREUS *qvidam* etiamnùm aſſervatur in *Monaſterio Laëtienſi* in *Hannonia*, cujus primæ faciei Imago SALVATORIS noſtri, JESU CHRISTI, qvatuor clavis affixi; alteri verò Inſcriptio hæcce: ΚΟΣΜΟΥ. ΤΟ. ΛΥΤΡΟΝ. ΑΙΜΑ. ΤΟΥ. ΘΕΟΥ. ΛΟΓΟΥ. h. e. MUNDI. REDEMTIO. SANGVIS. DEI. VERBI. eſt inſculpta. Cur autem *CONSTANTINUS* tàm ſæpe denominatum NUMISMA characteribus *Hetruſcis* cuſum habere voluit, rationem hactenùs, qvamvis in eam inqviſiverim diligens, indagare non potui. Nec ullus Eruditorum

torum e Gente noſtrâ appoſitè eam ſuppetere mihi adhuc conatur. Magno proinde ac ſublimi judicio Tuo, *Optime PRINCEPS*, omnia, qvæ heîc ſunt ſcripta, meritò relinqvuntur, qvoniam inter omneîs conſtat, TE ab Adoleſcentia ſtatim *Heroica* amœniores MUSAS, qvas Indoctorum turba ſpernit, in plurium *Cæſarum* ac *Regum* morem ita veneratum, amplexum atqve exoſculatum eſſe, ut nunc in glorioſiſſima Ætate Tua virili earum PRÆSES ab ipſo cœlo ſis dignè declaratus. Indè fit, ut indefeſſos earum cultores ex qvovis terrarum angulô ad bellam Tuam FLORENTIAM, qvam CAROLUS, *Dux Auſtriacus*, diebus tantùm feſtivis monſtrandam eſſe haud iniqvè cenſuit, cupidiſſimè ventitanteîs, incredibiliter foveas, & ut alacres & incolumes ad metam optatam feliciter perducantur, ſingulari patrociniô Tuô ac gratiâ efficias. Mihi autem, qvi procul ſum à florentiſſimâ Ditionum Tuarum Metropoli, magnum mirificæ Gratiæ atqve Benignitatis ſignum omninò exhibebis, ſi, PRINCEPS *Benigniſſime*, clementer permiſſurus es, ut providus ſolersq; *Serenitatis* Tuæ Bibliothecarius, *Antonius Magliabechius*, Vir ob multa magnaqve in Rempublicam litterariam merita æternâ amoris atqve honoris veneratione Eruditis omnibus ſincerè proſeqvendus, ex inſtructiſſima atqve illuſtriſſima Bibliotheca Tua lubens mecum communicet, qvæ ad emendandum, ex diverſis Editionibus atqve Membranis accuratiùs concinnandum & cum Indice abſolutiſſimo locupletandum M. ANN. LUCANUM, Poëtam eximium & verè gravem, ſpectant. Ut prælaudatum Poëtam, lucem ſi is viderit, magno ac immortali NOMINI Tuo conſecrem humillimè, infucata Pietas, qvâ omneîs auguſtioris Litteraturæ HECTORES, qvorum es princeps, conſtanter colo, obſervo atq; veneror, qvotidiè me impellet. Optimè enim adhuc ſum memor ſum-

mæ

mæ illius Gratiæ atq; Beneficentiæ, qvam in me, Tuorum qvippe Clientum ſubjectiſſimum, largiſſimus derivabas, cùm *Annô huj. Sec. LXVIII. menſ. Mart.* LIPSIAE noſtræ perſplendidæ, uti toti GERMANIÆ, multisqve aliis Regionibus, longè à nobis diſſitis, qvas, DEO Duce atqve *Fortuna* comite, ita prudenter atqve feliciter tunc temporis peragrabas, ut omnia erudita Pectora, præſtantiaqve Ingenia ora atqve oculos ſuos modeſtè in TE convertere paſſim oporteret, extabas Hoſpes gratiſſimus. Et hæc eſt cauſa, cur PUBLICAM HANC EPISTOLAM, ceu gratæ mentis teſſeram, ad *TE*, PRINCEPS *Maxime*, ſubmiſſè dare volui, hâc ſpe & fiduciâ, illam TIBI ideò eſſe gratiſſimam, qvòd *N*UMMI NOSTRI INSCRIPTIO, de qva hæc mea potiſſimùm agit, litteris Veſtris eſt conſignata. *Nunc SERENITATI TUÆ* devotô obſeqviô fideliter me commendans Eam qvàm feliciſſimè vivere atqve valere cupio.

Scribeb. DRESDAE è Muſéo d. XXIII. Decembr. Styl.
Vet. Aô. SALVATORIS NOSTRI M. DC. LXXIX.

Ad

*Ad*

*Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum,*

# DN. IOANNEM GEORGIUM II,

Ducem Saxoniæ, S.R.Imp. Archi-Mareſchallum & Electorem, Burggravium Magdeburgenſem, &c. &c. &c. Principem pium, felicem, benignum ac pacificum, de NUMMO illo ARGENTEO, qvem CONSTANTINUS MAGNUS, Chriſtianorum Impp. primus, cudi juſſerit, cùm annô Imperii ſui ultimô Filiis ſuis Imperium eſt partitus,

***EPISTOLA***

*ante duodecim annos in* Electorali Dresda *ſubmiſſiſſimè ſcripta*

*à*

JO. FRIDERICO HEKELIO.

* * *

*SERENISSIME ac POTENTISSIME ELECTOR,*

## DOMINE CLEMENTISSIME,

NUper ad Potentiſſimum Magnum HETRURIÆ Ducem, DN. COSMUM III, Principem optimum ac Litteratorum Patronum glorioſiſſimum, ſubmiſſè dedi EPISTOLAM de *Nummo illo aureo*, qvem *Imperator* CONSTANTINUS, ob res, in Eccleſiâ inprimis, præclarè geſtas ſi non *Maximus*; omninò tamen *Magnus* dictus, acceptô ſacro ſanctô Baptiſmate, juſſerit ſignari. *Nunc* mihi eſt in animo, de *Nummo illo argenteo*, qvem idem *Imperator*, cùm annô Imperii ſui ultimô Filiis ſuis Imperi-

 um

um ita eſt partitus, ut CONSTANTINO natu maximo avita Poſſeſſio, *cunctæ* ſcilicet *per Alpes Regiones*; *CONSTANTIO* verò *Oriens*, & *CONSTANTI* Juniori *Pars intermedia* ceſſerit, hâc formâ






cudi mandaverit, ſententiam meam virili pro parte exponere. Ante omnia autem oritur heîc qvæſtio, an videlicèt *Nummus hicce*, cujus PROTOTYPUM *Tiguri* ac *Mœno-Francofurti* vidi, *verus*, *probus* & in *Oriente* probatiſſimi *Imperatoris* juſſu *verè cuſus*; an verò *fictus*, *falſus* atq; *adulterinus* ſit. Poſterius ad veritatem, qvæ ſe videndam alioqvin dat pauciſſimis, propiùs, qvàm prius, accedere, unusqvisqve illorum, qvi rerum geſtarum memorabiliumq; Scriptores nocturnâ diurnâq; manu hactenùs verſavêre, & ſimili modô adhuc verſant, facillimè intelliget, ſi utramq; *Monetæ noſtræ* faciem non obiter adſpiciet. Apparet enim primò ex Inſcriptione poſterioris lateris, NUMMUM iſtum ſignatum eſſe Aô. CHR. CCC. XLIII. cùm CONSTANTINUM juxta accuratiſſimorum Chronologorum calculum Aô. *CCC. XXXVII. d. XXII.* Maji, qvem diem *Græcorum* Chriſtiani religioſô cultu huc usqve ſolent proſeqvi, in ſuburbanâ villâ *Nicomediæ* inter pias preces expirâſſe, & inter Sanctos à Gente ſuâ relatum eſſe in-

ter

ter Eruditos conſtet. Deindè eadem Inſcriptio priori lateri prorſus eſt contraria. Docet enim *Nummum noſtrum* CONSTANTINI MAGNI, ejusqve *trium* ſuprà *dictorum Filiorum*, & ſic *qvatuor Perſonarum*, honori & memoriæ eſſe cuſum; cùm tamen in potiore latere *trium* ſaltem *Perſonarum* imagines ſint conſpiciendæ; ſic autem cælatæ, ut non pauci Litteratorum Coryphæi, qveîs cum hâc in re nonnulla jampridem communicavi, hanc ob cauſam, qvòd pedibus illius, qvi ſupremum ibidem locum obtinet, *Pavo*, JUNONI aliàs ſacratus; medium autem tenentis *Cygnus*, ales olim ideò APOLLINIS, qvòd non ſolùm albus eſt & candidus, ſed & canorus futuriq; præſagus à multis adhuc creditur, & deniqve occupantis ultimum *Ulula*, PALLADIS inſigne, ineptè ſit appoſita, mecum qvoqve ſint neſcii, an Icon extans in medio & Pomum Imperiale dextrâ ſuâ tenens CONSTANTINUM *Juniorem*, Filium natu maximum; an verò ipſum *Parentem*, cujus memoria aliàs, ſi *Nummus* hicce verus, probus atqve genuinus eſſet, per *Labarum* in ſeqviore facie cum *Inſcriptione* apparens commodè indicari poſſet, deſignet. Notum enim eſt, *CONSTANTINUM Parentem*, cùm eſſet adhuc *Ethnicus*, ea omnia, qvæ APOLLINI, uti *Cygnus*, conſecrata erant, in deliciis habuiſſe, *Laurum* inprimis & *Lauream*, ita ut etiam *Cæſ. Baroniô* Tom. III. *Annal.* col. 698. *Edition. Colon.* teſtante, *Daphnen* illam *Antiochenam*, APOLLINIS memoriæ dedicatam, voluerit appellari CONSTANTINIANAM DAPHNEN, abolitô APOLLINIS nomine, non qvidem ut ſic *Lauri ejusqve Coronarum* uſum, cùm CHRISTO nomen dediſſet, in *Triumfis* prorſùs tolleret, ſed potiùs eas, uti res multas alias, CHRISTO, victoriæ qvippe autori ac conſummatori unico, ſolenniter dedicaret, nomine ejus inſcriptô *Fronti* per litteram Græco-

rum X, eamqve in *Figuram* Crucis effictam, qvam eorundem P hunc in modum



interſecat. Et *hoc Signum* (qvod *Cornelius Cornelii à Lapide* Comment. in *Apocal.* c. XIII, Verſ. XVI. p. 221. col. 2. num. C. ex tribus initialibus nominis *CHRISTI* litteris ita



conflatum vult habere, ſcribitqve eôdem modô Anserto, qvem circa Ann. *SALVATORIS D. CCC. LXXXX.* perhibet vixiſſe, divinitùs revelatum eſſe, cùm aliqvandò à CHRISTO per internam inſpirationem, ut obſcura *Apocalypſeos* intelligeret, diſceretq;, qvodnam futurum ſit Signum *Anti-Chriſti*, qvô ſuos aſſeclas ipſe conſignabit, ſit inſtructus) etiam *Lucernis* iſtis, qvibus *priſci Fideles* ſæpiſſimè utebantur, æqvè, ac ſuprà dicti *Labari* formæ, qvam veram atqve propriam *Jacobus Gretſerus* Lib. I. de *St. Cruce* Tom. III. c. 4. p. 18. *Edition. Ingolſt.* fuiſſe arbitratur, ideò impreſſum erat, qvoniam *Jo. Baptiſtâ Caſaliô* Part. III. *veter. ſacr. Chriſtianorum Rituum*, c. 42. p. 184. num. A. Edition. Romano-*Taninæ* ſcribente, & *talium Lucernarum ſpecimen* hôc modô



ſi-

ſimul exhibente, ipſe CHRISTUS apud *Joann.* c. VIII, 12. de ſe teſtatur, ſe eſſe *Lucem Mundi*, eumqve, qvi ſe ſeqvatur, minimè eſſe ambulaturum in *tenebris*. Idem CRUCIS *Signum*, qvod *Joan. Reuchlinus*, *Capnionis* nomine alioqvin veniens, Vir Litteraturæ Rabbinicæ præ cæteris gnarus, Lib. 3. de *Arte Cabbaliſtica* fol. 78. *Edition. Anshelmiano-Hagenavienſis*, ex fulgore lucis qvidem, ſic



efformatum fuiſſe tradit, oranti *CONSTANTINO* in ipſâ meridiei horâ, ſeu, ut alii volunt, poſt meridiem, Sole jam declinante, coram omni exercitu, qvem contra MAXENTII Tyrannidem intrepidus ducebat, cum hâc Inſcriptione Latinâ: IN HOC VINCE: ſupernè apparuiſſe Hiſtoricorum præcipui narrant, adduntq; non illepidè, CHRISTUM etiam per ſomnum ei apparentem juſſiſſe, ut *ſanctæ* CRUCIS *Signô*, qvod atramentô in frontibus *Turcarum* pictum eos qvoqve, qvantumvis infideleîs, à peſtis contagiô qvondam præſervâſſe dicitur, pro *Vexillis* in præliis uteretur. Qvod cùm *CONSTANTINUS* fieri ita curâſſet, initô cum hoſte conflictu, copias illius aliqvot præliis fudit. Ipſô etiam MAXENTIO *Romæ* apud pontem *Milvium* in *Tiberi* ſubmerſô, clariſſimam obtinuit victoriam, omniqve *Italiâ* atqve *Africâ* eſt potitus, annô videlicèt Imperii ſui ſeptimô. Poſtqvam hæc victoria in urbe nunciabatur, ac præſertim MAXENTII caput, qvod haſtâ erat ſuffixum, afferebatur, circumgeſtabaturq;, tota

Urbs lætiſſimi Populi vocibus atq; clamoribus repleta fuit. Senatores ex vinculis educti & ad *CONSTANTINUM* urbe egreſſi, *Liberatori* ſuo humi ſtrati ſummas egerunt gratias, ejusqve patrocinio tùm ſe, tùm Urbem diligenter commendârunt. *CONSTANTINUS* victor Urbem ingrediens incredibili totius Populi applauſu meritò eſt exceptus. Atqve ut tam admirandæ victoriæ gloriam non in ſe, ſed in CHRISTUM autorem referret, Tropéi locô erigi juſſit in mediâ urbe Statuam ſuam, qvæ manu dextrâ CRUCIS CHRISTI *Signum* teneret, ejusqve efficacem ac ſalutarem virtutem omnibus oſtentaret ac promulgaret, additâ inſuper hâc Inſcriptione: HOC. SALUTARI. SIGNO. VERO. FORTITUDINIS. INDICIO. CIVITATEM. JUGO. SERVITUTIS. LIBERAVI. ET. SENATUM. POPULUM. QVE. ROMANUM. IN. LIBERTATEM. VINDICAVI. AC. PRISTINÆ. DIGNITATI. SPLENDORI. QVE. RESTITUI. Et exindè venit, ut CONSTANTINUS CRUCIS honorandæ, venerandæ ac illuſtrandæ gratiâ tàm *uſualibus Nummis*, iis nimirùm, qvi in *Contractibus* uſurpati, qvàm aliis, qvi eô fine duntaxat cuſi, ut *dono* darentur illis, qvos Princeps *eximiè cohoneſtatos* vellet, (*Germanis* non incommodè Gnaden-Pfennige/ qvaſi dicas *Gratiæ* atqve *Benevolentiæ* Nummos) *CRUCEM* omnium primus addiderit. Nec extant *Numiſmata crucigera* Imperiô CONSTANTINI antiqviora. Et qvanqvam inveniuntur æreæ Monetæ qvædam ante natum *CHRISTUM* percuſſæ, in qvibus CRUX hôc ſchemate X, vel P interpoſitô, qvod P *Grajorum* Jeſuita *à Lapide* loc. ſup. cit. τὸ ΡΟΔΟΝ, hoc eſt, ROSAM, & ipſam VOLUPTATEM notare, NOTAMq; ANTI-CHRISTI eſſe; illud autem X CRUCEM PURAM atqve GENUINAM dici, & CHARACTEREM CHRISTI præ ſe ferre ſcribit, ab *Ethnicis* ignoranter, ut olim *Aegyptiorum* Hieroglyphicis, eſt

appo-

appoſita; ſciendum tamen, qvòd in ejusmodi *Monetis* indicari potuerit N*omen* alicujus, qvi fortè Monetam cuderet, e. g. CHRYSANTIS, CHRYSIPPI & *ſimilium*, idq; compendiariâ ratione ſcriptum, vel *Typus* qvidam, CRUCIS præſtantiam, tempore CHRISTI futuram, præfigurans. Multa enim in ſupellectilem Chriſtianam jampridem eſſe invecta, qvæ aliàs profanitatem ſuboluerant, è Polyhiſtorum celebrium Scriptis manifeſtum atqve apertum eſt. Sic ROMULI AUGUSTI, Filii MAXENTII, *Numiſmati CRUX*, qvam *Victoria* in averſa ejus parte, additâ inſcriptione ſeqventi: *VICTORIA AUGG.* ſtans dextrâ ſuâ tenebat, non ſine ſingulari myſteriô, & ſic multò aliâ mente, ac CONSTANTINUS illam *Monetis ſuis* inſculpi juſſit, erat impreſſa. Portendebatur enim, qvô vexillô, qvâqve armaturâ MAXENTIUS Parens, infenſiſſimus S. CRUCIS hoſtis & ſceleratus Tyrannus, eſſet interiturus. Notandum autem, qvòd CRUX, cujus veneratio olim, *Alexandriæ* præſertim, *Ruffinô* teſte, tanta erat, ut unusqvisqve in *Poſtibus*, in *Ingreſſibus*, in *Feneſtris*, in *Parietibus*, *Columnisqve* illam depingeret, *Monetis* non unô modô ſit addita. Interdùm enim apparet in REGUM & IMPERATORUM *Imaginibus*, qvæ *Nummis* impreſſæ, ut in *Corona* atqve *Diademate*, ſæpè in *Manu*; aliqvandò in *Globô*, qvi manu tenetur, item in *Clypeô*, *Vexillis*, eorumqve *Signis*, & non raro ſupra *Signa*. Nec CRUCIS una eademqve ſpecies eſt. Interdum enim effingitur inſtar litteræ X, qvali formâ JACOBUM Patriarcham, cùm JOSEPHI *Liberis* manibus transverſùs obliqvatis inter ſe benedixit, uſum eſſe *Tertullianus* autor eſt; interdùm ut commiſſa, ita ut formam habeat litteræ *Græcæ* Tau, & *Latinæ* T; aliqvandò ut immiſſa, ſ. qvadrangula, ita ut ſurſum una qvartaqve ejus pars hunc in modum  emineat. Et hoc

ſche-

ſchema ultimum in utrâqve *Monetae noſtrae* tabellâ cogitatè ter eſt poſitum, modò ut eò certiùs illa pro *vera* agnoſceretur. Cautâ enim fraude plurima ſæpe conſtant, qvæ fide putamus maximâ. Larva autem fraudis hujus facillimè deponi poteſt, ſi velimus cum Optimatibus ſtatuere, *Numiſma noſtrum* effictum eſſe ad formam *Nummi* iſtius *Imperatorii*, qvem D. TRAJANUS JOVI OPT. MAX. JUNONI REGINÆ & PALLADI MINERVÆ, teſte *Juſtô Rycqviô* Comment. de *Capitol. Rom.* Cap. XIII. p. 167. Edition. *Batavo-Lugdun.* ſic



qvondam juſſit percuti. Sed cur *terna* illa *Numina*, qvæ in delubris, ſeu cellis illis *Capitolinis*, ad qvas ſupplicationes ſimul indici moris fuit, ſedentium inſtar D. ANTONINUS Pius *hôc Nummô*



nobis conſpicienda exhibuit, junctim olim culta ſint, inter alia hanc ob cauſam factum eſſe notum eſt, qvòd videlicèt illa *Dii Penates* exiſterent, ſine qvibus vivere ac ſapere neqviremus, ſed qvi penitùs nos regerent ratione, calore, ſpiritu. Placuit enim veterrimis Theologis medium *Ætheris* JOVEM appellare; JUNONEM autem infimum ejusdem, ſive *Aërem* cum *Terra* citimum eſſe dixerunt. Undè & *Conjux*, & *Soror JOVIS OPT. MAX.* eſt credita. Sed PALLADEM è *Parentis* ſui capite ortam ideò fabulati ſunt, qvòd homini ſuprema pars *Corporis* ſit CAPUT; *Mundi* autem ÆTHER, cujus ſupremum *PALLADI* tribuebant.

*Jo. Andreas Boſius*, Vir antiqviorum Studiorum deliciis laudabiliter deditus, de *Nummô* noſtrô *Conſtantinianô argenteô* d. *XIX.* Mart. *A. MESS. M. DC. LXIIX.* tenuitati meæ amanter hoc perſcripſit, ſe nimirùm audiviſſe aliqvando è diſertiſſimo *Jo. Heinr. Bœcleri* ore, prædicti *Nummi* autorem, qvicunqve ille fuerit, extremô ſuperioris Seculi ſine omni dubiô inventionem ſumpſiſſe ab illâ *Moneta*, qvæ BASILIO MACEDONI, circa Ann. *CHR. DCCC. LXVII.* mortuô MICHAËLE *Porphyrogennetô*, THEOPHILI & THEODORÆ filiô, feliciter imperanti, ejusqve filiis, CONSTANTINO & LEONI, rudi Minervâ ita eſt cuſa, ut non ſolùm CRUX utriusqve partis *Inſcriptioni*, eiqve partim *Græcis*, partim *Latinis* litteris conſtanti, & ſi integris characteribus, in ſeqviore parte inprimis, efformetur, hôc modô ſe habenti: ✝ BASILIUS CONSTANTINUS. LEON. ΒΝ. ΘΕΩ, ΒΑΣΙΛΕΙΣ. ΡΟΜΕΟΝ, vel potiùs ΡΩΜΑΙΩΝ, h. e. ROMÆORUM: ſit præfixa, ſed CRUCES etiam, uti ex hoc *ipſius Nummi* ſchemate

AK II m 9/14






ap. *Baronium* Tom. X. *Annal.* col. 469. videre licet, ſingulorum verticibus impoſitæ. An autem veritati hocce conforme ſit atqve conſentaneum, æqviſſimo exterorum noſtratiumqve Eruditorum judicio; inprimis vero ſummæ atqve benigniſſimæ Cenſuræ Tuæ, *ELECTOR Glorioſiſſime*, humillimus relinqvam. Probè enim omnibus perſpectum atqve cognitum eſt, *vetera Numiſmata*, majorem uſum rebus antiqvis & Hiſtoriis illuſtrandis, ac *Inſcriptiones*, qvæ in Marmoribus, aliisqve rebus extant, præſtantia, Tibi ſic eſſe in deliciis, ut non ſolùm in eorum originem atqve antiqvitatem curiosè ſæpe inqvirere, ſed & magnum illum, qvi Tibi eſt, ejusmodi deliciarum acervum qvotidiè fermè cumulare ſoleas. Indè venit, ut meam hanc EPISTOLAM ad Te, ELECTOR BENIGNISSIME, ſubmiſſè dare voluerim, firmiter ſperans, eam, vilem licèt, POTENTISSIMÆ SERENITATI TUÆ, cui vitam ſvavem, jucundam, tranqvillam ac longævam, & qvæcunqve tanti HEROIS CHRISTIANI vota atqve deſideria ſunt, cum omnibus Bonis candidiſſimè apprecor, ideò neqvaqvam eſſe ingratam, qvòd in Solis modum humi repentes ab altô qvoqve aſpectare illa minimè dedignatur. Dab. è Muséo IV. Non. Mart. A. CHR. M. DC. LXXX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11948-p0030-4

*ſimis, Peritiſſimo atque Ex-*

DOMINIS,

# TOPHORO WA-

co ác Politico ſummi Nomi-
lidiſſimo,& in incluta Univerſitate
. OO. Profeſſori Ord. optimè
&c.&c.

# c. Fil.) SCHROEC-

ico, S. Cæſ. Maj. Archiatro &
uguſtano Ordinario feliciſſimo, S.
lino-Imperialis Nat. Curioſor. E-
d., maximè laudabili, &c.&c.

# NIELI OMEISIO,

iti *P*al. Cæſ. conſpicuo, & in
P. verè famigerabili, &c.&c.

# Æ SCHMIDIO,

isſimo, in celeberrima Acad.
nnor. Ducalium Ephoro dex-
&c.&c.

*atque Fautoribus meis magnis
venerandis,*

RES, MAGNIFICI, NOBILISSIMI
IMI DOMINI, quamvis, inquam, mi-
uerim, Duas illas EPISTOLAS, quas
os ad SERENISSIMOS atque PO-
INCIPES ac DOMINOS, DN.
Magnum Hetruriæ Ducem, &
DN.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11948-p0031-0